



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Modvs Frvctvose Celebrandi Missam**

**Giustinelli, Pietro  
Belli, Domenico**

**München, 1649**

Oratio Præparatoria ad audiendas Confessiones.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55294](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55294)

quet, eos qui indignè divinum  
accipiunt Sacramentum, à  
Deo grauibus corporis subij-  
ci infirmitatibus, subitanea  
discedere morte, variè diuxa-  
rià Diabolo, facilè in enor-  
mia labi peccata, & per conse-  
quens pessima occumbere  
morte.

**ORATIO PRÆPARATORIA**  
*ad audiendas Confes-  
siones.*

*Antiphona.*

**C**OR mundum crea in me  
Deus, & spiritum rectum  
innoua in visceribus meis. Ne  
proiecias me, facie tua, & Spiritum  
sanctum tuum ne aufe-

ras à me. Redde mihi lætitiã  
salutaris tui, & spiritu princi-  
pali confirma me. Docebo ini-  
quos vias tuas, & impij ad te  
conuertentur.

*Oremus.*

**O**MNIPOTENS & mise-  
ricors DEVS, qui me in-  
dignum Sacerdotalis officij  
Ministrum fecisti; atque ad o-  
randum, & interpellandum  
ad Dominum nostrum Iesum  
Christum Filium tuum pro  
peccatoribus & ad pœnitenti-  
am reuertētibz mediatorum  
constituisti; concede mihi pro-  
pitius Beata MARIA semper  
Virgine intercedente, cum  
Beatis Angelis Custodibus no-  
stris.

tris, & omnibus Sanctis, tuæ  
diuinæ charitatis affectum, vt  
quæ mei sunt muneris dignè  
valeam implere: ac famulis,  
famulabusque tuis ad pœni-  
tentiam reuertentibus spiri-  
tum veræ compunctionis lar-  
giri digneris, vt resipiscant à  
diaboli laqueis, quibus adstri-  
cti tenentur, & ad te per di-  
gnam satisfactionem, & emē-  
dationem reuertantur. Per  
eundem Dominum nostrum  
I E S U M Christum Filium tu-  
um: qui tecum viuit, & re-  
gnat in vnitate Spiritus sancti  
Deus: Per omnia sæcula sæ-  
culorum, Amen.

*Cum*

*Cum accedit pœnitens, signo  
Crucis facto super eum,  
dicit.*

**D**OMINVS IESVS Chri-  
stus sit in corde tuo, & in  
labijs tuis, vt dignè, & com-  
petenter confitearis peccata  
tua, ad laudem, & gloriam no-  
minis sui, Amen.

*Formula Absolutionis.*

**M**ISEREATUR tui omni-  
potens DEVS, & dimissis  
peccatis tuis perducat te ad vi-  
tam æternam, Amen.

R      In-

**I**NDVLGENTIAM, absolu-  
tionem & remissionem om-  
nium peccatorum tuorum  
tribuat tibi omnipotens, &  
misericors Dominus, A-  
men,

*Postea extendens manum ver-  
sus illum, dicat.*

**D**OMINVS IESVS Chri-  
stus absoluat te, & ego au-  
toritate ipsius, absoluo te in  
primis à vinculo excommu-  
nicationis, Suspensionis, & In-  
terdicti, in quantum possum,  
& tu indiges (sic dicitur; quan-  
do Paenitens est Ecclesiasticus,  
habens aliquem Ordinem: Si  
vero sit Laicus, omittitur Ver-  
bum,

*bum, Suspensionis, & postea  
prosequitur ad Absolutionem  
ascens)* Deinde EGO TE  
ABSOLVO à peccatis tuis:  
In nomine  $\text{H}$  Patris, & Filij, &  
Spiritus sancti, Amen.

*Postea remouens manum,  
dicit.*

PASSIO Domini nostri IE-  
SV Christi, & merita Beatæ  
Virginis M A R I A E, & omni-  
um Sanctorum, & quicquid  
boni feceris, & mali patienter  
sustinueris, sint tibi in remis-  
sionem peccatorum, augmen-  
tum gratiæ, & præmium vitæ  
æternæ, Amen. Vade in  
pace.

*In Reconciliationibus, satis  
erit incipere Absolutionem ab  
ijs Verbis. Dominus IESVS  
Christus absoluat te, &c. omif-  
fis alijs precedentibus precatio-  
nibus.*

*Oratio recitanda post auditas  
Confessiones.*

**D**OMINE IESV Christe,  
dulcis amator, & sancti-  
ficator animarum, purifica  
obsecro, per infusionem san-  
cti Spiritus cor meum ab om-  
ni affectione, & cogitatione  
vitiosa; & quidquid à me in  
meo munere, siue per negli-  
gentiam, siue per ignorantiam  
peccatum est, pro tua infinita  
pietate & misericordia supple-



re digneris. Commendo tuis  
amabilissimis vulneribus om-  
nes animas, quas ad poeniten-  
tiam traxisti, & tuo preciosissi-  
mo Sanguine sanctificasti, ut  
eas à peccatis custodias, & in  
tuo timore, & amore conser-  
ues, in virtutibus indies ma-  
gis promoueas, atque ad vi-  
tam perducas æternam. Qui  
cum Patre, & Spiritu sancto  
viuis, & regnas in sæcula sæ-  
culorum, Amen.

F I N I S.

*Ad laudem, & gloriam IESU  
Christi, eiusq; Sanctis. Mo-  
tris Virginis Mariae.*